



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

IX. De Descensv Christi Ad Inferos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

## IX.

DE DESCENSV CHRISTI  
AD INFEROS.*Status controuersie.*

**D**ISCEPTATVM fuit super hoc articulo inter quosdam Theologos, quæ Augustanam Confessionem profitentur; quando & quomodo Dominus noster Iesus Christus, vt testatur fides nostra Catholica, ad inferos descenderit: an id ante vel post mortem eius factum sit. Præterea quæsitum fuit, num animâ tantum, an diuinitate sola, an verò anima & corpore descenderit: idque an spiritualiter, an verò corporaliter sit factum. Disputatum etiam est, num hic articulus ad passionem, an verò ad gloriosam victoriam & triumphum Christi sit referendus.

Cum autem hic fidei nostræ articulus, sicut & præcedens, neque sensibus neque ratione nostra comprehendere queat: sola autem fide acceptandus sit: vnanimi consensu consulimus, de hac re non esse disputandum, sed quam simplicissimè hunc articulum credendum & docendum esse. Atque in hoc negotio sequamur piam D. Lutheti doctrinam: qui hunc articulum in concione Torgæ habita (ANNO & C. X X X I I I.) piè admodum explicuit, omnes inutiles & curiosas quæstiones præcidit, atque ad piam fidei simplicitatem omnes Christianos adhortatus est.

Satis enim nobis esse debet, si sciamus, Christum ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum è potestate mortis & Sathanæ, ab æterna damnatione, atque ad eò è faucibus inferni ereptos. Quo autem modo hæc effecta fuerint,



non curioſè ſcrutemur, ſed huius rei cognitionem alteri ſeculo reſeruemus; ubi non modò hoc myſterium, ſed & alia multa, in hac vita ſimpliciter à nobis credita, reuelabuntur: quæ captum cæcæ noſtræ rationis excedunt.

X.

## DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, QUÆ VVLGO

Adiaphora ſeu res mediæ & indifferentes vocantur.



RTA eſt etiam inter Theologos Auguſtinæ Confeſſionis controuerſia de ceremonijs ſeu ritibus Eccleſiaſticis, qui in verbo Dei neq; præcepti ſunt, neq; prohibiti: ſed ordinis tantùm & decori gratia in Eccleſiam ſunt introducti.

### *Status controuerſiæ.*

QVAſitum fuit, num perſecutionis tempore, & in caſu confeſſionis ( etiamſi aduerſarij nobiſcum in doctrina conſentire nolint ) nihilominus ſalua conſcientia aliqua abrogatæ ceremoniæ, quæ per ſe indifferentes, & à Deo neque mandatæ neque prohibitæ ſunt, poſtulantibus id & urgentibus aduerſarijs, iterum in uſum reuocari poſſint: & an hoc modo cura Pontificijs in eiufmodi ceremonijs & adiaphoris conformari rectè queamus. Vna pars hoc fieri poſſe affirmavit: altera verò negavit.

### AFFIRMATIVA.

*Sincera doctrina & confeſſio  
de hoc articulo.*

AD